¶Decreta per Illuſtriſſimos & Reuerendiſſimos Cardinales Paleottum & Senonen̄. ac Reuerendiſs. D. Cæſarem Spetianum Epiſcopum Cremonenſem, de mandato fel. recor. Gregorij Papæ xiiij. facta contra eos, qui contra regulam Ordinis Congrationis fratrum S. Hieronymi Ieſuatorum, ſe ad ſacros ordines promoueri fecerunt, vel litteras dimiſſorias fratribus eiuſdem Congregationis dederunt, ſub die vltima Martij. 1591.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Domini: Gabriel Paleotus Epiſcopus Albanenſis, & Nicolaus de Pelleue, tituli Sanctæ Praxedis Senonenſis.

S. R. E. Cardinales, & Reuerendiſsimus Dominus Cæſar Spetianus Epiſcopus Cremonenſis omnes ad infraſcriptum negocium ſummariè ſimpliciter, & de plano audiendum, cognoſcendum, fineq; debito terminandum à S. D. N. Gregorio Papa xiiij. viuæ vocis oraculo ſpecialiter deputati, in Palatio prælibati Illuſtris. D. Cardinalis Paleoti antedicta die inſimul cōgregati, viſis Regula & Ordinationibus Congregationis Fratrum S. Hieronymi Ieſuatorum, quibus explicitis verbis prohibetur, ne fratres prædicti ad ordines ſacros præſumant aſcendere, viſa reſolutione aliàs ad conſultationem eorundem Fratrum Ferrariæ facta per Illuſtriſsimos & Reuerendiſsimos Dominos A. Epiſcopum Hoſtienſem, & Nicolaum tituli Sanctæ Crucis S.R.E. Cardinales, & Reuerendiſsimos Dominos Ioannem Epiſcopum Ferrarienſem, & Ludouicum Epiſcopum Taruiſinū, ſub die nona Iulij anni 1438. & duabus alijs reſolutionibus Illuſtriſsimorum, & Reuerendiſsimorum Dominorum Cardinalium Congregationis ſuper negocijs, & conſultationibus Epiſcoporum deputatæ, tempore Gregorij xiij. & Sixti V. fel. record. ex mente eorundē Summorum Pontificum factis & publicatis, quibus reſolutum, & ordinatum fuit, Fratres antedictos debere in eorum primęua inſtitutione, nihil innouando, perſeuerare, viſo pariter decreto per Illuſtriſsimum & Reuerendiſsimum D. Cardinalem Senonenſem præfatum eiuſdem Cōgregationis Protectorem, ſub die xxviij Aprilis anni M. D. LXXXIX. facto, & in Capitulo Generali Romæ celebrato, à Fratribus præfatis expreſsè recepto, & approbato, quo cautum fuit de cætero perpetuis futuris temporibus nemini ex dictę Congregationis Fratribus, cuiuſcumque facultatis ſibi conceſſæ, vel concedendæ aut alio quouis prætextu ad aliquē ex ſacris ordinibus aſpirare licere, viſis & auditis relationibus tranſgreſsionum in hac parte patratarum, auditis confeſsionibus & eorum excuſationibus Fratris Bonauenturæ de Bononia Prioris Conuentus Sancti Euſtachij de Bononia, & Fratris

Bernardini de Senis, Prioris Conuentus Sancti Ioannis de Florētia Diffinitorum, & Viſitatorum, qui literas dimiſſorias ad ordines etiam ſacros conceſsiſſe, earumq; virtute plures dictæ Cōgregationis Fratres ad ordines prędictos promotos fuiſſe, de plano aſſeruerunt, viſa etiam confeſsione Fratris Pauli Morigię Mediolanenſis Prioris Conuentus Sācti Hieronymi Mediolanen. per memoriale eius manu exaratum, & eidem Sanctiſsimo D. N. porrectum, quo ſe promotum ad ſacrum ſubdiaconatus ordinem profitetur; omnibus maturè penſatis, & facta demum totius negocij plena relatione eidem Sanctiſsimo D.N. Gregorio xiiij. ex mente Sāctitatis ſuę decreuerunt, & declararunt, prout infra videlicet. Primo quod omnes Fratres qui contra regulam, reſolutiones & decreta prædicta, fecerūt ſe promoueri, perpetuo ſuſpenſi eſſe debeant ab ordinum ſuſceptorum exercitio, & executione, ac vbiq; vltimum habere locum, quamuis cæteris ſint profeſsione antiquiores. Secundo. Quod prędicti Fratres, Bonauentura de Bononia, & Bernardinus de Senis, Frater Paulus Morigia, & ſi quis alius ſit ex Congregatione prædicta Superior per Illuſtriſsimum & Reuerendiſsimum Cardinalem Protectorem declarandus, qui literas dimiſſorias, & alias quaſcumque conceſſerit, aut aliter quoquomodo opitulatus fuerit fratribus dictæ Congregationis, vt ad ordines contra regulam, & inſtitutum eiuſdem Cōgregationis promouerentur, ab eorum officijs depoſiti in poſterum, ad ea & alia Religionis obtinenda, inhabiles ſint, & eſſe intelligantur. Tertio. Quod in futurum, inſtitutum Congregationis, eiuſq; regulę ſimplicitatem, iuxta reſolutiones & decreta ſupradicta etiam quoad obligationem recitādi, horis debitis, Dominicam Orationem cum Angelica ſalutatione, aliaq; gerendi, & perficiendi ad quæ per Regulam, Conſtitutiones, vſum, & morem Congregationis Fratres tenentur; debeāt omnino inuiolabiliter obſeruare; Cauti tamen ſint in ordinibus ſacris conſtituti, non eſſe propterea immunes à diuinarum horarum recitatione, & quod ſi quis contrauenire auſus fuerit, ſiue fecerit ſe promoueri, ſiue literas dederit, aut aliàs quoquomodo iuuerit, vt aliquis dictę Congregationis promoueatur, pœnam perpetui carceris ipſo facto incurret: Decernentes inſuper ſub pœna prędicta non licere cuiquam ex fratribus dictæ Congregationis cuiuſcumq; ſint qualitatis, gradum aliquem adipiſci in ſacra Theologia, vel alia quauis facultate & profeſsione cū in ſimplicitate vitæ, ac maxima humilitate Altiſsimo famulari ex eorum inſtituto & regula, teneantur; Et ita dixerunt, declarauerunt, & decreuerunt prædicti Illuſtriſsimi & Reuerēdiſsimi Domini approbante hęc omnia eodem Sanctiſsimo D. N. & mādante vt deſuper ad perpetuam rei memoriam publicum conficiatur Inſtrumentum; quod vt omnia in eo cōtenta ad notitiam Fratrum totius Congregationis facilius peruenire poſsint, voluit & pręcepit Sanctitas ſua in omnibus Capitulis Generalibus legi, & publicari, & per Viſitatores pro tempore exiſtentes, in eorum viſitationibus ad ſingulos Conuentus deferri, & denunciari, ac illius copiam penes Priores Cōuentuum dimitti, & eiſdem copijs manu Notarij publici ſubſcriptis, vti originalibus plenam fidem adhiberi debere, ad hoc vt Priores, & alij Superiores obſeruantiam illius pręcipiant cunctaq; in eo cōtenta exequi mandent, & faciant quacumq; mora & exceptione remota. In quorum omnium fidem pręſens Inſtrumentum à prędictis Illuſtriſsimis & Reuerendiſsimis Dominis, vt ſupra deputatis ſubſcribendum, & eorum ſigillis muniendum

dum de mandato eiuſdem Sanctiſsimi D. N. ego Saluſtius Tauruſius Protono-tarius Apoſtolicus, & Sanctitatis ſuæ in ſacra Congregatione ſuper negocijs Epiſcoporum Secretarius, confeci, & pariter ſubſcripſi die & anno ſuperius annotatis.

Gabriel Card. Paleottus Epiſcopus Albanen.
N. de Pelue Card. tt. S. Praxedis Archiep. Senonenſis.
C. Epiſcopus Cremonen.

Saluſtius Tauruſius Secretarius.

Loco † † † Sigillorum appenſ.

BREVE S. D. N. GREGORII XIIII.

¶ Confirmationis Decretorum ac ordinationum per Cardinales Paleottum & Senoneñ, ac Cæſarem Spetianum Epiſcopum Cremonenſem factarum, bonum Regimen Congregationis ordinis fratrum S. Hieronymi Ieſuatorum concernentium, ſub datum. 17. Maij. 1591.

Gregorius Papa xiiij.

AD Perpetuam rei memoriam. De Chriſti fidelium quorumlibet præſertim ſub ſuaui Religionis iugo Altiſsimo famulãtium, ſoliciti, vt regulares perſonę eam quam amplexi ſunt viuendi normã ſequantur, officij noſtri partes libenter interponimus, prout conſpicimus in Domino expedire. Nuper ſiquidem accepimns, quòd licet Fratribus Congregationis Fratrum Sãcti Hieronymi Ieſuatorum nũcupatorum, iuxta eorum regularia inſtituta ſit prohibitum ad ſacros ordines aſcendere, ac id ipſum per Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales ſuper negotijs & conſultationibus Epiſcoporum, deputatos, tempore fel. rec. Gregorij xiij. & Sixti V. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, reſolutum & ordinatum fuerit, ac nouiſsimè in Capitulo generali in Vrbe, ſub die 29. Menſis Aprilis anni Domini 1589. celebrato, ibidem Dilecto filio noſtro Nicolao tituli Sanctę Praxedis Presbytero Cardinale Senonenſe nuncupato, dictæ Congregationis Protectore præſidente, inter alia perpetuò ſtatutum & ordinatum fuerit nemini ex dictæ Congregationis Fratribus cuiuſcumq; facultati ſibi conceſſæ vel concedendæ,

aut alio quouis prętextu ad aliquē ex ſacris ordinibus aſpirare ſicere ac aliàs, prout in dictę Congregationis ſtatutis & decretis, ac reſolutionibus prædictis plenius cō- tinetur; Nonnulli tamen dictę Congregationis Priores Diffinitores, & Viſitatores literas dimiſſorias, etiam ad ſacros ordines conceſſerunt, quarum vigore, plures di- ctę Congregationis Fratres ad eoſdem ordines ſacros contra eorum regulā, & pro feſsionem promoti fuerunt, in maximam eorum primæui inſtituti regularis alte- rationem. Quare nos habita de præmiſsis notitia, negotium huiuſmodi Venerabili Fratri noſtro Gabrieli Epiſcopo Albanen. Paleotto nuncupato, ac eidem Nicolao Cardinalibus, necnon Venerabili Fratri Cæſari Epiſcopo Cremonen. ſummariè ſimpliciter, & de plano audiendum, cognoſcendum, fineq; debitò terminandum demandauimus. Qui, negocio huiuſmodi per eos maturè diſcuſſo, ac auditis Prio- ribus, Diffinitoribus, Viſitatoribus, & Fratribus prædictis, decreuerunt, & decla- rarunt, quod omnes Fratres, qui contra regulam, reſolutiones, & decreta prædi- cta fecerunt ſe promoueri, ab executione ſuſceptorum ordinum perpetuò ſuſpenſi exiſtant, ac vbiq; vltimum locum quamuis cæteris ſint profeſsione antiquiores, ha- bere debeant. Quodq; Priores Diffinitores, & Viſitatores, & ſi quis alius ſit Su- perior ex Congregatione prædicta per eundem Nicolaum Cardinalem declaran- dus, qui literas dimiſſorias, & alias quaſcumq; conceſſerit, aut aliter quoquomo- do opitulatus fuerit Fratribus dictæ Congregationis, vt ad ordines contra regulā & inſtitutum dictę Congregationis promouerentur, ab eorum officijs depoſiti, ac in poſterum ad ea, & alia dictæ Congregationis officia obtinenda, inhabiles ſint, & eſſe intelligantur. Quodq; in futurum, inſtitutum dictæ Congregationis, eiuſq; re- gulę ſimplicitatem, iuxta reſolutiones, & decreta ſupradicta, etiam quoad obliga- tionem recitandi horis debitis, Dominicam Orationem cum Angelica ſalutatione, aliaq; gerendi, & perficiendi, ad quæ per regulam Cōſtitutiones, Vſum, & Morem dictę Congregationis Fratres tenentur, debeant omnino inuiolabiliter obſeruare, cauti tamen ſint in ordinibus ſacris conſtituti, non eſſe propterea immunes à di- uinarum horarum, recitatione, & quod ſi quis conuenire auſus fuerit ſiue fecerit ſe promoueri ſiue literas dederit, aut aliàs quoquomodo iuuerit, vt aliquis dictæ Congregationis promoueatur, pœnam perpetui carceris ipſo facto incurrat, nec li- ceat cuiquam ex fratribus dictæ Congregationis cuiuſcumq; ſint qualitatis, gradū aliquem adipiſci in ſacra Theologia, vel alia quauis facultate, & profeſsione cum in ſimplicitate vitæ, & maxima humilitate Altiſsimo famulari ex eorum in- ſtituto & regula, teneantur, ac aliàs prout in decretis & declarationibus prædi- ctis, etiam plenius continetur. Quarè vt præmiſſa perpetuò, & inuiolabiliter ob- ſeruentur, quo fuerint, etiam noſtra, & Sedis Apoſtolicæ auctoritate munita pro- uidere volentes, ac regulæ & inſtituti dictæ Congregationis, illiuſq; Statutorum, necnon reſolutionum, & decretorum prædictorum tenores etiam veriores præſen tibus pro ſufficienter expreſsis, habentes, Decreta declarationes, aliaq; præmiſſa, ac omnia & ſingula per Cardinales, & Cæſarem Epiſcopum prędictos ſtatuta, & or- dinata, ex certa noſtra ſcientia, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, perpetuò confirmamus & approbamus, illiſq; perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur a- dijcimus; ac omnes, & ſingulos iuris & facti defectus, ſi qui interuenerunt in eiſ- dem ſupplemus. Mandantes omnibus, & ſingulis dictæ Congregationis Priori-

bus,

bus, Viſitatoribus, Diffinitoribus, Fratribus, & Perſonis quatenus præmiſſa omnia, ſub excommunicationis ſententia eo ipſo incurrenda, obſeruent, & obſeruari faciant, & illorum obſeruationem præcipiant, & exequi mandent, quacumq; mora, & exceptione remotis. Decernentes eorum ſingulos ad præmiſſorum omnium obſeruationem omnino teneri, & ad id cogi, & compelli poſſe, ſicq; per præfatum Nicolaum Cardinalem modernum, & pro tempore exiſtētem dictæ Congregationis Protectorem, & quoſcumq; alios Iudices, quauis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, irritum quoq; & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus eidem Nicolao Cardinali moderno, & pro tempore exiſtenti dictæ Congregationis Protectori, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus per ſe vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumq; per ſingulos dictæ Congregationis Priores, Viſitatores, Diffinitores, & Fratres, ſub ſententijs, & cenſuris Eccleſiaſticis, ac priuationis officiorũ per eos obtentorũ, inhabilitatisq; ad alia, & alia in poſterum obtinenda, ac perpetui carceris, alijſq; pœnis arbitrio ſuo imponendis, quacumq; exceptione, ſeu reclamatione ceſſantibus, & omnino poſtpoſitis, inuiolabiliter perpetuò obſeruari faciat, atq; procuret. Inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſecularis Non obſtan. quibuſuis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcumq;. Vt autem præmiſſa omnia, ad ſingulorum dictę Congregationis Fratrum notitiam deueniant, volumus, & mandamus Decreta prædicta, ac præſentes literas in omnibus Capitulis generalibus legi, & publicari, & prædictæ Congregationis Viſitatores pro tempore exiſtentes, in eorum Viſitationibus ad ſingulos Conuentus deferri, & denunciari, ac illorum copiam penes Priores ſingulorum Cõuentuum huiuſmodi dimitti, eiſdemq; copiis manu Notarii publici ſubſcriptis vti originalibus plenam fidem adhiberi debere. Datum Romæ in Monte Quirinali ſub Anulo Piſcatoris, die xvii. Maii, 1591. Pontificatus Noſtri Anno primo.

M. Veſtrius Barbianus.

Ant. Ruloffius.

Io. Bartholomęus Hormezanus Notarius publicus, & Curiæ Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi D. ſuæ Sanctitatis Vic. Actuarius.

A 3 BREVE

¶ Confirmationis Priuilegiorum, Satutorum, ac literarum Apoſtolicarum Congregationis fratrum ordinis Sancti Hieronymi Ieſuatorum per diuerſos Romanos Pontifices conceſſorum.

Clemens Papa viij.

AD perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex Religioſis Altiſsimo famulantibus à Sede Apoſtolica cōceſſa priuilegia, gratias, & indulta, necnon ea quæ per quæ opportune prouidetur, vt religioſi eam quam amplexi ſunt viuendi normam ſequantur, vt firmius ſubſiſtant quo ſæpius fuerint Apoſtolico munimine roborata, confirmare, & approbare conſueuit, prout eorumdem Religioſorum vota expoſcunt, & ipſe conſpicit in Domino ſalubriter expedire: Sanè dilecti filij Viſitatores, Priores, & Diffinitores Congregationis fratrum S. Hieronimi Ieſuatorum nuncupat. nobis nuper exponi fecerunt, quod cū alias per fel. rec. Martinum v. Eugenium iiij. Nicolaum v. Pium ij. Sixtum iiij. Innocentium viij. Alexandrum vj. Iulium ij. Leonem x. Adrianum vj. Clementem vij. Paulum iij. Iulium iij. Paulum iiij. Pium iiij. Piū v. Gregorium xiij. & Gregorium xiiij. ac forſan nonnullos alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, eidem Congregationi diuerſa priuilegia, gratias, & indulta conceſſa, & per eoſdem, ac alios Romanos Pontifices etiam prędeceſſores noſtros confirmata & innouata fuerint, ac etiam quia iuxta dictæ Congregationis regularia inſtituta illius fratribus eſt prohibitum ad ſacros ordines aſcendere tempore dicti Gregorij xiij. & pie mem. Sixti Papæ v. etiam prædeceſſoris noſtri, ac in Capitulo generali dictæ Congregationis, & nouiſsimè per venerabilem fratrem noſtrum Gabrielem Epiſcopum Sabinen. Palæotum, & dilectum filium noſtrum Nicolaum tituli S. Praxedis ipſius Congregationis Protectorem Presbyterū Cardinales Senonen. nuncupat. ac venerabilem fratrem Ceſarem Epiſcopū Cremonen. de mādato ipſius Gregorij xiiij. prædeceſſoris; decretum ſtatutum, & declaratum fuerit quod omnes fratres qui contra dictæ Congregationis regulam fecerunt ſe promoueri ab executione ſuſceptorum ordinum perpetuò ſuſpenſi exiſtāt ac vbique vltimum locum, quamuis ceteris ſint profeſsione antiquiores, habere debeant, Quodq. Priores, Diffinitores & Viſitatores & ſi qui alius ſit ſuperior ex Congregatione prædicta per eundem Nicolaum Cardinalem declarandus qui literas dimiſſorias & alias quaſcumque cōceſſerit, aut aliter quoquomodo opitulatus fuerit fratribus dictæ Congregationis vt ad ordines contra regulam & inſtitutum dictæ Congregationis promouerentur, ab eorum officiis depoſiti, ac in poſterum

ad ea, & alia dictæ Congregationis officia obtinen. inhabiles ſint & eſſe intelligantur, quodq. in futurum inſtitutum dictæ Congregationis eiuſq. regulæ ſimplicitatem, etiam quoad obligationem recitandi horis debitis Dominicam orationem cũ Angelica ſalutatione aliaq. gerendi & perficiendi ad quę per Regulam Conſtitutiones Vſum, & Morem, dictæ Congregationis fratres tenentur, debeant omnino inuiolabiliter obſeruare, cauti tamen ſint in ordinibus ſacris cõſtituti nõ eſſe propterea immunes a diuinarum horarum recitatione, & quod ſi quis cõtrauenire auſus fuerit, ſiue fecerit ſe promoueri ſiue literas dederit aut aliàs quoquomodo iuuerit vt aliquis dictæ Congregationis promoueatur, pænam perpetui carceris ipſo facto incurrat, nec liceat cuiquam ex fratribus dictæ Congregationis cuiuſcũque ſint qualitatis, gradum aliquem adipiſci in ſacra Theologia vel alia quauis facultate & profeſsione cum in ſimplicitate vitæ & maxima humilitate Altiſsimo famulari ex eorum inſtituto & regula teneantur, ac aliàs prout in diuerſis ipſorum prędeceſſorum litteris ac decretis ſtatutis & declarationibus aliiſq. ſcripturis deſuper confectis plenius cõtinetur, Cupiant Viſitatores, Priores, & Diffinitores prædicti priuilegia, gratias, & indulta, ac decreta, ſtatuta, & declarationes huiuſmodi pro illorum firmiori ſubſiſtentia per nos confirmari & approbari. Quarè nobis humiliter ſupplicari fecerũt quatenus eorum deſiderio huiuſmodi annuere, aliaſq. in præmiſsis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos ſingulorum priuilegiorũ, gratiarum, indultorũ, decretorũ, ſtatutorũ, & declarationũ, ac literarum, aliarumq. ſcripturarũ deſuper confectarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum infererentur & exprimerentur præſentibus pro ſufficiẽter inſertis & expreſsis haben. necnon Viſitatores, Priores, & Diffinitores, aliaſq. ſingulares perſonas dictę Congregationis a quibuſuis excõmunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti aliiſq. eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à iure vel ab homine quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectũ præſentiũ dumtaxat conſequen. harũ ſerie abſoluentes & abſolutos fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati omnia & ſingula priuilegia, prærogatiuas, conceſsiones, facultates, exẽptiones, libertates, immunitates, indulta, decreta, ſtatuta, & declarationes, etiam ſuper prohibitione ſuſcipiendi ordines ſacros, vt præfertur, aut aliàs quomodolibet factas, necnon indulgentias etiam plenarias, & peccatorũ remiſsiones, cęteraſq. gratias ſpirituales & tẽporales eidẽ Congregationi omnibuſq. & ſingulis illius tam virorum quàm mulierũ monaſteriis, domibus, & aliis regularibus locis, necnon illorũ ſuperioribus officialibus, & perſonis quibuſcũque tam in genere quàm in ſpecie, ac aliàs quomodolibet & quandocũque etiam per viam communicationis vel extenſionis per prædictos & alios quoſcumque Rom. Pontifices prædeceſſores noſtros conceſſa ac deſuper cõfectas literas & ſcripturas quaſcũque quatenus ſint in vſu & decretis Concilij Tridentini non aduerſentur, Apoſtolica auctoritate tenore præſentiũ perpetuò approbamus & confirmamus illiſq. perpetuæ & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, ac omnes & ſingulos iuris & facti defectus ſi qui interuenerunt in eiſdem omnino ſupplemus, Sicq. & nõ aliter per quoſcũque locorum ordinarios & alios Iudices quauis auctoritate fungentes & S. R. E. Cardinales & cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores ſublata eis & eorũ cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate iudicari &

diffi-

diffiniri debere ac quicquid ſecus ſuper his a quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attẽtari, irritum, & inane decernimus. Non obſtantibus quibuſuis Apoſtolicis, ac in Prouincialibus, ſynodalibus, generalibuſq. Conciliis editis ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus, ordinationibus, necnon dictæ Congregationis etiam iuramento confirmatione Apoſtolica vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus priuilegiis quoque indultis & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum cum quibuſuis clauſulis & decretis quomodolibet conceſsis, cõfirmatis, & innouatis. Quibus omnibus illorum omnium & ſingulorum tenores pręſentibus pro ſufficienter expreſsis & inſertis haben. illis alias in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus cętériſq. contrariis quibuſcũque. Volumus autem quod præſentium tranſumptis etiam impreſsis alicuius Notarij publici manu ſubſcriptis & ſigillo dictæ Congregationis vel perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ obſignat. eadem prorſus fides in iudicio & extra illud adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die xviiij. Martij M. D. XCII. Pontificatus noſtri Anno Primo.

M. Veſtrius Barbianus.

Antonius Ruloffius.

BREVE S. D. N. CLEMENTIS VIII.

¶ Extinctionis Litis inter fratrum domus S. Hieronymi Brixienſis ordinis fratrum S. Hieronymi Ieſuatorum ex vna, & fratres ord. Minimorum S. Franciſci de Paula extra Ciuitatem Brixienſem ex altera, partibus; ſuper præcedentia.

Clemens Papa viij.

AD Perpetuam rei memoriam. Cura Paſtoralis, nobis ex alto demãdata, nos continuo admonet, vt circa Religioſorum quietem, atq; pacem diligenter attendamus, ſubortiſq; diſcordijs, ne latius obrepant, viam præcludamus, quo exinde ipſi Religioſi vota ſua Deo in pacis amenitate reddere valeant, & adimplere. Accepimus ſiquidem ex dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus Sancti Hieronymi Brixien. Ordinis Ieſuatorum inſinuatione, quod licet ipſi dictam Domum, & eius Eccleſiam per centum annos, & amplius ſine vlla cuiuſq; moleſtia poſſediſſent, nihilominus dilecti filij Prior, & Fratres nouæ cuiuſdam Domus Ordinis Fratrum

Mini-

Minimorum Sancti Franciſci de Paula extra dictam Ciuitatem non ita pridem introducti, in ipſo primo eorum aduẽtu illos, ſub prętextu, quòd ſint Laici ſuper praecedentia moleſtare cœperunt, ſuper quo habito recurſu ad dilectos filios Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinales ſuper Regularium negotijs deputatos: Demum cõſtito eis, quod dicti Prior, & Fratres Ieſuati tamquam regulares perſonae omnibus priuilegijs Ordini Sancti Auguſtini Haeremitarum, & illius Fratribus conceſsis, etiam ex priuilegio diuerſorum Romanorum Pontificum prędeceſſorum noſtrorum vtebantur, req; aliàs diligenter perpenſa, ac multis hinc inde, etiam in contradictorio deductis, & allegatis in plena ipſorum Cardinalium Congregatione, de qua tunc eramus, Decretum fuit litteras fel. rec. Gregorij Papae xiij etiam prędeceſſoris noſtri, ſub die xv. Iulii, Pontificatus ſui Anno duodecimo aeditas, & diſponentes, vt qui inter Mendicantes antiquiores ſunt alijs praecedant, obſeruari debere, ac Paulo poſt etiam Venerabili Fratri Epiſcopo Brixien. eadem via reſcriptum, ne ipſos Priorem, & Fratres Ieſuatos ſuper huiuſmodi praecedentia vlterius permitteret, inquietari. Cum autem, ſicut etiam accepimus, Prior, & Fratres ſecundo dictę Domus, nedum acquieſcentes Decretum, quoddam Congregatione Rituum contra praedictos Priorem, & Fratres Ieſuatos, eis etiam non auditis, ac tacita rei veritate extorſerint, nouis eos moleſtiis perturbandoq. Nos haec indigne ferentes, ac volentes ipſorum Ieſuatorum quieti, moleſtiarum, & litium huiuſmodi procul ſemotis incommodis conſulere, ac litterarum, & decretorum, aliorumq; praemiſſorum, & indeſecutorum tenores, etiam veriores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur praeſentibus pro expreſsis, & inſertis habentes, de meritis negotii huiuſmodi plenè informati, Motu proprio, non ad ipſorũ Prioris, & Fratrum Ieſuatorum, vel alterius pro eis nobis ſuper hoc oblatae petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicae poteſtatis plenitudine, omnes, & quaſcunq; cauſas, & moleſtias ſuper praemiſsis, & illorum occaſione inter partes hactenus, tam actiuae, quam paſsiuę, ac vltro citroq; quomodolibet motas cum omnibus ſuis annexis, & dependentibus ad nos harum ſerie auocamus, illasq; ac litem penitus extinguimus, ac tam Priori, & Fratribus ſecundo dictae Domus, quam etiam aliis quibuſcunq; intereſſe habentibus, ſeu praetendentibus ſuper eiſdem praemiſsis perpetuum ſilentium imponimus. Diſtrictius inhibentes; quibuſuis Iudicibus, & perſonis, etiam Cardinalatus honore, ac quauis auctoritate fungentibus, ne Priorem, & Fratres ſecundo dictę Domus, ſeu alios pro eis ſuper praemiſsis vlterius vllo modo audire, ſeu aliàs ſe deſuper ingerere audeant, vel praeſumant. Volentes, & Motu, ſcientia, ac poteſtate ſimilibus decernentes, & declarantes, quòd Prior, & Fratres primo dictae Domus praecedentiam, iuxta eorum antiquitatem, ac litterarum Gregorii praedeceſſoris, decretiq; deſuper in eorum fauorem facti huiuſmodi formam, & continentiam habeant, illaq; perpetuò fruãtur, & gaudeant, irritumq; ſit, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentatum forſan eſt, & in poſterum contigerit attentari. Quo circa nunc, & pro tempore exiſtenti cauſarum Curiae Camerae Apoſtolicae generali Auditori, & Venerabili Fratri Epiſcopo Brixien. ſeu eius Vicario in ſpiritualibus generali, per praeſentes committimus, & mandamus quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum, ſi & quoties pro parte Prioris, & Fratrum

primo

primo dictæ Domus requiſiti fuerint efficacis defenſionis pręſidio, in præmiſsis aſſiſtentes faciant illos, præſentibus literis, earumq; commodo omni tempore contra, & aduerſus quoſcunq; perturbatores pacificè frui, & gaudere, Non permittentes ipſos per Priorem, & Fratres ſecundo dictæ Domus nunc & pro tempore exiſtentes, Aut quoſuis alios ſuper præcedētia huiuſmodi ex quauis cauſa, aut quæſito colore moleſtari, ſeu quomodolibet inquietari, Contradictores, & rebelles quoslibet per cenſuras Eccleſiaſticas, & pecuniarias pœnas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus præmiſsis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſuis conſuetudinibus, & ſtatutis, priuilegiis quoq; indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam ſecundo dictæ Domus, ipſiq; ordini Fratrum Minimorum Sancti Franciſci de Paula, ac illius Superioribus, Fratribus, & perſonis in genere, vel in ſpecie ſub quibuſcunq; tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis, etiam iteratis vicibus in contrarium forſan quomodolibet, & per quoſcunq; conceſsis, cōfirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſi de illis, eorumq; totis tenoribus ſpecialis ſpecifica, & expreſſa mentio habenda foret, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, pręſentibus pro expreſsis habentes illis aliàs in ſuo robore permanſuris latiſsime hac vice ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcūq;. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Anulo Piſcatoris. Die quarta Martii, 1592. Pontificatus Noſtri Anno primo.

M. Veſtrius Barbianus.

Antonius Ruloſſius.

Declarationis ſeu Statuti, quod in Congregatione ordinis S. Hieronymi Ieſuatorum inſtituta Regularia ab antiquo, in eadem Congregatione obſeruata, deinceps inuiolabiliter obſeruentur, nec quicquam, citra ea innouetur.

Clemens Papa viij.

AD futuram rei memoriam. Ad quietem & tranquillum ſtatum perſonarum Eccleſiaſticarum præſertim vero ſub certa regula, & humilitatis ſpiritu Deo famulantium conſiderationis noſtræ conuertentes intuitum ne contra antiquas & laudabiles conſuetudines propriumq. inſtitutum ipſorum inquietentur, ipſaq. regularia inſtituta infringantur libenter vt tenemur prouidemus quo exinde ipſæ regulares perſonæ ſublatis cuiuſuis moleſtiæ incommodis vota ſua in pacis amænitate Domino reddere valeant. Cum itaque ſicut accepimus in ordine ſeu Cõgregatione dilectorum filiorum fratrum Ieſuatorum quorum proprium, & antiquum inſtitutum eſt Orationes Dominicales, & ſalutationes Angelicas dumtaxat citra aliam recitationem officij, & diuinorum celebrationem recitare, & ſub hac mentis humilitate Deo famulari nonnulli ipſum inſtitutum, & regulam ab initio profeſſi procurauerint ſe ad ſacros ordines promoueri, aliaq. contra ipſum inſtitutum prætextu etiam quarundam litterarum alias per eos a fel. rec. Sixto Papa V. prędeceſſore noſtro extortarum, facere pręſumpſerint, & vlterius etiam in hoc progredi contendant, in non modicum dicti ordinis ſeu Congregationis præiudicium, & aliorum obſeruãtium quietis perturbationem. Nos attendentes alias fel. rec. Iulium Papam Secundum prædeceſſorem noſtrum quibuſdam ſuis litteris ſub die ſeptima Aprilis Pontificatus ſui anno quinto, quen. fratrem Marcum de Turri, & alios eiuſdem ordinis ſeu Congregationis Ieſuatorum, qui ad ordines ſacros promoueri requiſierant, priuaſſe & ab ipſo ordine expuliſſe. Cupienteſq. ac omnino volentes vt ordo ipſe in ſuis antiquis ritibus, & inſtitutis regularibus inuiolatus præſeruetur. Decreto etiam & deliberationi dilectorum filiorum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium regularium negotijs præfectorum a quibus etiam pluries & diuerſis temporibus negocium huiuſmodi informantibus dilecto filio fratre Ioſepho Fulginaten. Procuratore generali, & alijs exaduerſo venientibus dicti ordinis ſeu Congregationis fratribus diligenter examinatum diuq. perpenſum fuit ſuper hoc auditis prius partibus ac conſideratis omnibus, quæ tunc per eos deducta fuerunt factis inherentes, ac de omnibus coram eiſdem Cardinalibus hinc inde ſic deductis totiuſq. negocij meritis & partium earundem iuribus quorum omnium ac literarum Iulij prædeceſſoris huiuſmodi tenores

res

res & qualitates pro hic expreſſis & inſertis haberi volumus, & habemus, plenè i-formati, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus, ac volumus quod ritus, mores, conſuetudines, & inſtituta regularia in ordine ſeu Congregatione fratrum Ieſuatorum huiuſmodi ab antiquo obſeruata deinceps in perpetuum per omnes & ſingulos illius ſuperiores & regulares perſonas inuiolabiliter obſeruentur, nec quicquam contra illa innouetur. Diſtrictius inhibentes eiſdem Superioribus & perſonis regularibus cuiuſcumque gradus & qualitatis exiſtentibus ne aliquid in contrarium facere vel attentare quoquomodo audeant vel præſumant, ac decernentes irritum & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtan. literis Sixti prædeceſſoris & alijs præmiſſis ac indeſecutis, necnon conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, priuilegiis, indultis, & literis ſimiliter Apoſtolicis ad inſtantiam ſeu ſupplicationem quorumuis forſan conceſſis ſeu etiam Motu proprio emanatis. Quibus omnibus illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum infererentur præſentibus pro expreſſis habentes latiſſime hac vice ſpecialiter & expreſſe derogamus ceteriſq. contrarijs quibuſcumque. Dat. Romæ in Monte Quirinali ſub annulo Piſcatoris die xxv. Iunij 1592. Pontificatus noſtri Anno Primo.

M. Veſtrius Barbianus.

Ant. Ruloſſius.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE